



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

391. An hoc decretum scriptum sit de substantia electionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

Questio 388. Num idem teneat in Religiosis?

Respondeo affirmative, nisi obster speciale statutum; potest enim quilibet renunciare juri suo, nisi oppositum sit illi injunctum à Superiore suo. Pass. n. 19. tantumque Religiosus non habet velle vel nolle contra vel ultra voluntatem Superioris; ubi autem contrarium non constat, Superior præsumitur velle, quod volunt jura, ac se conformare cum eorum dispositione. Gonz. ad reg. 8. cancell. Gl. 4. n. 166. Adeoque ad hoc, ut Religiosus electioni intra Monasterium possit renunciare, sufficit, quod Superior id facere non vetet. Suar. tom. 4. d. 46. c. 1. n. 12. Sigism. loc. cit. n. 14.

Questio 389. Intra quantum tempus Electus consentire debeat electioni?

Respondeo: intra mensem à die electionis sibi præsentata, quo elapso, si non consenserit, amittit jus quæsitum ex electione, & vacat Prælatura. Barb. ad c. quàm sit. h. t. in 6. n. 3. Gonz. loc. cit. gl. 15. n. 50. Castel. c. 14. n. 40. Pass. n. 23. Quod tamen locum non habet, ubi Electus consentire nequit absque licentia Superioris; necesse enim est tunc, electum vel Electores quam citius hanc licentiam petere, determinandumque est tempus licentiæ hujus obtinendæ arbitrio judicis, spectatâ distantia loci, in quo moratur Superior. Et si in congruo tempore non obtineatur licentia, vacat Ecclesia, possuntque Electores alium eligere. Pass. loc. cit. Porro competit Electo adhuc integer mensis ab obtenta licentia ad consentiendum. Biax. p. 3. c. 24. Peyr. tom. 3. c. 9. n. 21. Pass. loc. cit. citans Boër.

Questio 390. Quid sit decretum seu instrumentum Electionis?

Respondeo: esse scripturam continentem ab initio ad finem totam electionis seriem; seu esse scripturam dispositionem & ordinationem totius electionis principaliter consistentis in eo actu, quo unus Electorum per modum decernentis, desinientis, & sententialiter eligentis nominatum in scrutinio à majore parte Capituli nomine ejusdem eligit. Gl. in c. innotuit. v. decreto. ibid. Abb. n. 13. Hanc scripturam in suo Ordine ait Pass. c. 21. n. 1. dici scrutinium, quia continet totum ordinem scrutini.

Questio 391. Num hoc decretum scriptum sit de substantia Electionis?

Respondeo negativè; tamen enim de substantia Electionis sit, ut ipsa innotescat confirmatori, quantum opus est, ut de ea judicet, & illam aut confirmare, vel cassare valeat; per accidens tamen est, quod confirmator accipiat hanc notitiam per scripturam potius quàm per relationem oretenus factam à testibus, scrutatoribus, vel Electoribus, facientibus fidem de processu electionis. Barb. ad c. innotuit. n. 17. ibid. Abb. n. 16. Host. Imol. Castel. c. 12. n. 25. & 30. Sigism. dub. 41. n. 2. Pass. n. 2. cum communi contra Gl. in c. innotuit. Sed neque necesse est, ut simul cum decreto electionis mittantur ad confirmatorem personæ aliqua ex iis, quæ electioni interfuerunt, ut Superior per eas de persona electi, forma electionis, & studiis eligentium informetur: etsi enim id fundamentum habere videtur in c. cupientes; rectius tamen dicitur, id solum innui ob majorem cautelam,

Abb. ad cit. c. innotuit. n. 14. Quin & in cit. textu non esse sermonem, nisi de electionibus confirmandis à summo Pontifice. Pass. n. 3.

Questio 392. A quibus necesse sit scriptum esse hoc decretum?

Respondeo primò: in electionibus non regularium ordinarium quidem esse, non tamen necessarium, ut omnes Electores subscribant, hæc v. g. formâ: Ego Titius Canonicus S. Petri interfui huic electioni, consensi, & propria manu subscripsi: docet Innoc. in c. innotuit. h. t. n. 3. contra Sigism. loc. cit. n. 7. & Lavor. c. 19. n. 102. apud Pass. n. 4. docentes, id esse necessarium.

2. Respondeo secundò: ut hoc decretum plenam fidem faciat, præscindendo à speciali statuto vel consuetudine, non est necessarium, ut sit scriptum à Notario publico coram testibus; uti vult Sigism. dub. 4. n. 9. ita etiam, ut hi interfuerint procellui electionis, omniâque in eo acta viderint; sed sufficit, scriptum esse à Scrutatoribus, ubi hi à lege assumuntur, & deputantur ut Tabelliones ad describendum processum electionis; sunt enim hoc ipso personæ publicæ, scribentes ex officio, adeoque ex hac auctoritate publica plenam fidem facientes, absque eo etiam, quod opus tunc sit testibus; majorem enim fidem merentur tres personæ ex publico officio Scribentes, quàm unus Notarius & duo testes; quin & hoc ipso Scrutatores Argumento c. cum dilectus, habent officium testium; siquidem & Notarii testes sunt, sed publici, Cast. de elect. c. 1. n. 30. Pass. n. 6. & 7. qui tamen etiam n. 9. addit, in eo casu nimirum, dum Scrutatores ex lege describunt decretum electionis; necessarium esse, ut apponatur Sigillum Collegii vel Conventus; dum autem Notarius alius publicus conscripsit hoc decretum, & apposuit Sigillum sui Tabellionatus, opus non esse, ut insuper apponatur Sigillum Collegii.

3. Respondeo tertio in genere; ut instrumentum electionis plenam fidem faciat, debere esse confectum juxta leges cujusunque Collegii, auctoritate apostolicâ approbatas; ita ut, ubi ex lege, aut stylo assumendus est Tabellio, hoc servandum sit, ubi autem Scrutatores ipsi hoc munere funguntur, per eos, & non per alium Notarium confici debere instrumentum hoc, Pass. n. 11. de cætero assumi quoque potest in Notarium laicum, Abb. in c. innotuit. n. 15.

PARAGRAPHVS XII.

De Electione per compromissum, & communem inspirationem.

Questio 393. Num Electio per compromissum sit licita?

Respondeo primò negativè quoad Regulares; pro his enim hic modus eligendi reprobat per Trident. sess. 25. de Regul. c. 6. Pass. c. 22. n. 2.

2. Respondeo secundò: quoad Clericos alios affirmative; pro his enim approbatur hæc forma eligendi in c. quia propter. his verbis: Vel saltem eligendi potestas aliquibus viris idoneis committatur (nimirum